PETRI BERTII

# ORATIO

In obitum

Reuerendi & Clarissimi viri

D. IACOBI ARMINII,

*SS^tæ Theologiæ Doctoris & Professoris in Academiâ Lugdunobatauâ.*

Habita post exsequias in Auditorio Theologico XXII Octobr. Anno cIↄ Iↄ CIX.






LVGDVNI BATAVORVM
Excudebat Ioannes Patius Typographus Academicus. Anno cIↄ Iↄ CIX.

# PRÆFATIO
## Ad Christianum Lectorem.



*Atere, vt in vestibulo paullisper te lacinia prehensum remorer, Christiane Lector; Non ego te longis detinebo sermonum ambagibus: hoc vnum commonefaciam: memineris; quum de Doctore* IACOBO ARMINIO *piæ memoriæ multa in nostra Oratione dixerimus, nos tamen vix vllam partem attigisse præcipuarum ipsius virtutum. Fuerunt enim maiora in ipso augustioraque omnia, quam vt a nobis potuerint prædicari: Attriuit multum de nostris conceptibus sermonis inopia: Sed neque ea quæ in ipso fuerunt bona satis digne animo concepimus: quod ingenuè fatebuntur, quotquot præclaras illius virtutes intimè nouerunt. Quæ quũ ita sint, rogo te obtestorque, seponas leua quæ forte concepisti iudicia, benéque de ipso, & Academia nostra, deque prudentissimis consilijs Nobilissimorum D D. Curatorum, & Illustriũ D D. Ordinum deinceps & sentias & loquaris. Sat hactenus priuatis quorundam suspicionibus indultum sit. Si nomine tuo indignum fuit, iniquas de fratre suspiciones concipere, sit laudabile conceptas iam tandem deponere. Solent Pagani certamina sua morte finire; Christiani etiam Solis occasu: Tu ne certa cum mortuo; nec patere Christianum vinci a Gentili. Nunc ille fructu gaudet labo-*

*rum suorum; tu fac eundem aliquando consequare. Imprimis verò (quod* IPSE *dum vixit prudenter monuit) veritate in scripturis sacris patefacta contentus, fuge curiosas de rebus diuinis disceptationes. Non disputando Deus colitur, sed obsequio. Nõ est ita curiosa religio. Quid deliberas? quid agendi tẽpora disceptando transmittis, euocãdus ex vitâ priusquam statueris aliquid? Quid altercando charitatem excludis? Sciendi via breuis est, agendi longa. Credis? age. Cogita non exacturum abs te Deum quantum disputaueris, sed quantum vixeris; hoc est, quam piè, modestè, castè, leniter, patienter egeris. Si tam operosè credendum est, quis tandem saluabitur? Et quum omnia scire volueris, quando illud facies, quod monet Dominus, Quisquis vult discipulus meus esse, abneget semetipsum, & tollat crucem suam? Certè quum plurimùm scieueris, vinceris a Diabolo. Proinde, si quod est solatium charitatis, si qua communio spiritus, si qua viscera & miserationes, talis esto in* IPSVM, *quales in te reliquos mortales esse volueris. Vale. Dat. Lugd. Bat.* XX. *Octob. A°* M. D. CIX.

Tuus in Domino

P. BERTIVS *Coll. Theologici Regens.*



# P. BERTII
## In obitum R. V. D. IACOBI ARMINII
# ORATIO.

*Mag^ci, Reu^di, Ampliſſ^i, Nobiliſſ^i, Eruditiſſimi Auditores,*



VAM ſit difficile quamq; arduum, de Viris præſtantibus in conſeſſu clarorum virorum verba facere, id ego cum antehac aliquoties expertus ſum, tum nūc imprimis ſentio, quum de Reverendo Viro Domino IACOBO ARMINIO S. Theologiæ Doctore poſt triſtes eius exſequias hoc loco mihi dicendū eſt. Nam quum vir bonus canon ſit & menſura rerum, curandum ei qui virum talem deſcribere voluerit,

vt ea excerpat proponatq́;, quibus vita humana in virtutis ſtudio poſſit proficere. Producenda in theatrum latentia bona, & quæ vel modeſtia celauit, vel liuor attriuit, vel calumnia diſtorſit, vel imperitia non obſeruauit, remoto ſipario lucéq; admota, oſtēdēda ſunt palàm, verbiſque declaranda, vt quid in quoque laudādum maximè, quidque imitandum ſit, omnes conſpiciant. Quo fit, vt quo maior cuiuſque eſt virtus, eò difficilius ſit de ipſo dicere: Maximam enim virtutem maxima comitatur inuidia: & quùm ſapiens ſine ratione nihil agat, difficile autem ſit, principia & cauſſas ſingularum actionum ſemper explicare: ex his autem pēdeat iudicium de re omni; efficitur, vt de præſtantibus viris, quorum vita omnis plena eſt diuerſis rectè ſentiendi agendique exemplis, difficillimum ſit iudicare. Accedit huc, quod qui id facere inſtituerit, neceſſe habeat quam frequentiſſimè recurrere a lege ad vitam, a vita ad legem: altera enim alterius ope indiget; & vt lex monet quid faciendum ſit, ita vita oſtendit quid fieri poſſit. Habet autem in ſe ſapiens vtrumque: planè ad exemplū Chriſti Domini & Seruatoris noſtri,

ſtri, qui primus dixit, Diſcite a me: Et Apoſtoli, qui ſuos monet, Imitatores eſtote mei ſicut ego ſum Chriſti: Atque vt Polycletus olim non contentus librum ſcripſiſſe, in quo omnia notauerat quæ ſtatuam humanam adfabrè ſculpturo obſeruanda ſunt, poſteà ne precipere videretur alijs, quod non ipſe obſeruaſſet, ſtatuam humanam ipſe fecit, eamque publice propoſitam vocauit Canonem, lineamenta artis ex ea velut lege peti iubens: ita Vir bonus quum monuerit alios quid faciendum ſit; ipſe quod præſcripſit alijs, primus exſequitur. Eſt autē difficile, vel omnes ſapientis actiones ad normam ſuam legemque propriam exigere; vel omnium legum in vno inuenire exempla. Mihi verò de vita & obitu Reuerendi atque incomparabilis viri D. Doctoris IACOBI ARMINII hodierno die in hoc celeberrimo eruditiſſimorū hominum conſeſſu dicturo, non illæ tantum, quas dixi, circumſtant difficultates, ſed & aliæ complures. Premit me recēs adhuc amici erepti dolor: conturbat triſtis familiæ conſideratio, vxor adflicta, liberi nouem patre orbi: mouet Academiæ luctus; percellit Reip. & Eccleſiæ tanto viro

Matt. xi. 29
1. Corinth. xi. 1.
Plin. lib. xxxiv. cap. 8.

to viro destitutæ recordatio: quæ omnia, in tam recenti vulnere, nondum obducta cicatrice, disertissimo cuique & cordatissimo cõsilium facile possint expectorare. Accedit, quod ipse etiam hoc omne choragium externi apparatus circà defunctos vehementer, dũ vixit, improbavit. Sciebat enim, primum hinc ad venerationem sanctorum gradum olim factum esse: nec decere nos existimabat, quũ pericula istiusmodi celebrationũ videremus, ipsas celebrationes sectari. Sed quum ea sit hodie rerum facies, vt ab istâ parte minimè nobis metuendum sit, (huc enim, prô dolor, deuenimus, vt de religione constituendâ potiùs, quam de pellendâ superstitione deinceps despiciendum videatur) quumque omnium intersit, virtutis exempla protracta in mediũ, omnibus hominibus spectanda proponi; suscepi, ex more, àmicorum rogatu, volente Senatu, prouinciam, quam nisi violata Christiana charitatè, & fracta amicitiæ iam inde a primâ ætate cum ipso sincerè cultæ contesseratione, detrectare non potui. Quæ quum ita sint, spero, in isto disertissimorum hominum consessu, in quo nemo est qui non me & grauius

uius & luculentius hoc munus obire possit, fore neminem, qui officium meum culpaturus sit. Vos intereà Mag^ci, Reuerendi, Amplissimi, Doctissimiq; Auditores rogo obtestórque, vt ijs quæ dicam fidem autoritatemque apud vos esse patiamini:

Commisimus terræ gremio, Reuerendi viri D. IACOBI ARMINII corpus, seu templum verius Spiritus sancti, laboribus, vigilijs, certaminibus, morbis, ærumnis, quassum, attritum, fractum: commisimus inquam in certam beatæ resurrectionis spē: quam ipse dum vixit credidit, & in quam cogitationes suas & consilia direxit. Patria ipsi fuit Oudevvatria, opidulum interfluente Isala (quam ego fossam Corbulonis esse suspicor) & agri circumiacentis amœnitate fertilitateque, & ciuium frugalitate atque industriâ, iampridem nobilitatum. In hoc ille opido Solē primum conspexit; eo ipso quo in Gallia colloquium Possiacenum institutum fuit anno, qui fuit quingentesimus sexagesimus suprà millesimum: in quo colloquio deputati nostri caussam agebant bis mille centum & nonaginta Ecclesiarum, pacem, tranquillitatemque &

fideï ſuæ libertatem a Rege ſuppliciter flagitantium. Hic igitur annus, hæc Sparta, hunc terris Laconem dedit: quæ tametſi alias quoque ediderat Ioannem de Veteri aquâ, Cornelium Valerium, & eum quem hic conſpicitis CL. ſenem D. Rudolphum Snellium, non patriæ tantùm ſuæ, ſed etiam totius Academiæ, atque imprimis ordinis Senatorij decus. Patrem infans amiſit. Mater vidua tribus onuſta liberis parce vitam, & caſtè dum vixit egit.

Erat tunc in illo opido preſbyter quidam, vir honeſtus & grauis, Theodorus Æmylij, cuius propter ſingularem eruditionem & ſanctimoniam, benedicta eſt hodieque inter viuos memoria. Is quum guſtũ melioris puriorisque in religione doctrinæ percepiſſet, decreuit ſemel abominandum illud miſſæ ſacrificium nolle celebrare; itaque ſedes ſuas variè commutabat, & modò Lutetiæ, modò Louanij, modò Coloniæ, modò Vltraiecti agebat. Hic ergo puerum patre orbatum ſimul atque ætas inſtitutionis capax fuit, primis vtriuſq; linguæ rudimentis, & veræ pietatis ac religionis principijs imbuendum curauit.

rauit. Quumque deprehenderet in eo egregię indolis specimina, sæpè illum exhortatus est, vt seposita spretáq; omni rerum terrestrium consideratione, se Deo & conscientię suæ adsereret: exiguum id esse quod hic viuitur, sequi statū post hanc vitam, qui non cōpede aut pilleo, sed beatitudinis vel mortis æternitate esset æstimandus. Insedit ipsius animum ista exhortio, confirmata posteà lectione adsiduâ sacrarum litterarum, & pijs meditationibus. Itaque ex eo nullum non laborem, nulla non discrimina spe vitæ illius, læto atque hilari animo subiuit. Sed ipsum post aliquot annos Vltraiecti ita agentem inopinata oppressit calamitas, ob mortem boni illius & religiosi senis: quam tamē clemens & benignus Deus haud multo post lenijt. Vix enim sanctus ille senex obierat, quum ex Hassia in patriam forte excurrit D. Rudolphus Snellius, qui iampridem relicta patria tyrannidem fugiēs Hispanorum Marpurgum concesserat. Is igitur ciuem suum humana omni ope ac præsidio destitutum secū in Hassiam abduxit, Anno 1575. Vix autem illic consederat, quum mense Augusto rumor adfertur de patriæ excidio: opi-

dum ab Hispano captum; militem præsidiarium occisum; ciues iugulatos, domos incensas esse. Quo rumore in tantũ perculsus est, vt totos dies quatuordecim in fletu perpetuo & lacrymis consumpserit. Itaque impatiens relicta Hassia in Batauiam excurrit, certus vel patriæ ruinas videre, vel mortem occumbere. Vbi venit, nihil offendit præter rudera, ciues plerosque, matrem, sororem, fratres, consanguineos, miserè interemptos; *Et campos vbi Troia fuit*. Rediit ergo Marpurgum, itinere ex patria in Hassiam vsque pedibus confecto. Intereà Illustrissimi Principis Auriaci auspicijs erecta apertaque est nova hæc Batauorum Academia: quod ille simul atq; in Hassia intellexit, statim cœpit domuitionem adornare. Roteradamum igitur venit, quo ciues plerique Oudevvaterani, (reliquiæ Danaum atque immitis Achillei) & fideles multi Amsterdamo exsules concesserant. Agebat tunc illius Ecclesiæ pastorem pater meus, Petrus Bertius; Principi verò a concionibus Gallicis & consilijs erat D. Ioannes Taffinus: vtrique mirificè placuit adolescentis indoles, alacritas, promptitudo, ingenium. Pater quum

esset

esset ὀψιμαθὴς (neque enim ante annum trigesimum Latinas litteras attigerat) rogatus ab amicis domo ipsum sua libentissimè excepit. Consilium autem erat amicorum ipsum in nouam istam Academiam ablegare: quam occasionē pater non negligendam ratus, me, qui tunc in Anglia litteris operam dabam euocat. Simul ergo in hanc Scholam missi, ex eo semper animis, studijs, volūtatibus fuimus coniunctissimi. Neque verò hic ego ætatem tunc temporis actam cōmemorabo. Vnum hoc dicam: Tantum fuisse iuuentutis in litteris & sapientiæ studio contentionem, tantam in doctores reuerentiam, tantum zelum atq; impetum pietatis, vt vix maior esse potuerit. Sed vnus præ reliquis eminebat in nostro ordine Arminius; Si quid scribendum esset, si quid dicendum, quærebatur Arminius: Si disceptatio oborta Palęmonem requireret, consulebatur Arminius. Memini quum Dominus Lambertus Danæus doctor & professor noster publicè illū ab ingenij dotibus & profectu, & virtute laudaret; nosque illius exemplo ad S. Theologiam alaciter capessendam excitaret. Quid ego hic Poeticæ studium refe-

ram, in quo excelluit? quid Mathematicæ? quid reliquæ Philosophiæ? Nihil ille istorum attigit, quod non penetrauerit; nihil adgressus est, quod non feliciter absoluerit. Atque hæc quidem vsque ad annum M. D. LXXXII. quo anno Amplissimus Senatus Amsterdamensis ipsum Geneuam profectus vberioris capiendi caussa ablegauit. Quo quum venisset, audiuit Reuerendum & beatæ memoriæ senem D. Theodorum Bezam explicantē epistolam ad Romanos, cum ingenti omnium hominum admiratione. Erat enim in Beza supra cæteros mortaleis flexanima oratio, dictio expedita, sermo perspicuus, vox suauis, doctrina verò omnium eruditorum hominum iudicio excellens. Hunc igitur sibi præ alijs omnibus sequendum atque imitandum delegit. Sed quum non posset sibi statim præcipuorum quorundam virorum in ea Schola gratiam & fauorem parare, idque (dicendum enim quod res est) ob solam Philosophiam Petri Rami, quam ille publicè quidem magnâ contentione defendebat, priuatim verò etiam suos auditores docebat, coactus est Basilæam concedere: ubi quantus inveni

honor

honor delatus ſit, quæ fuerint omnium ordinum de illius virtute ſuccreſcente præſagia, teſtari poſſunt ij, qui illius peregrinationis comites fuerunt. Atque hæc quidem iudicia & acclamationes ita ille admiſit, vt nunquam ad arrogãtiam animum deflexerit, ſed reapſe oſtenderit, nolle ſe ambitu eniti, ſed vera virtute velle eo contendere, ad quod erat DEI benignitate deſtinatus.

Solent Baſileæ ferijs vindemialibus doctiores ſtudioſi publicè interdum in Academia exercitij gratiâ aliquid extra ordinem docere. Eum laborem Arminius noſter haud inuitus ſuſcepit, laudatus ob id a Reuerendo viro D. Iacobo Grynæo, qui etiam lectiones ipſius præſentia ſua aliquoties cohoneſtauit: Idem quoq; in diſputationibus publicis ſiquid grauius proponeretur, aut dignus vindice nodus occurreret, non eſt veritus, honoris cauſſâ Arminium noſtrum media in ſtudioſorum turba ſedentem citare, & (vt Grynæi candorẽ agnoſcas) dicere, Reſpondeat pro me Hollandus meus. Eopſe tempore Arminius tanta in gratia & fama eruditionis erat, vt ei Geneuam diſceſſuro facultas Theologica titu-

lum

lum Doctoris etiam publico sumptu detulerit: quem ille, vt digniorem quam qui in eam ætatem conferri posset, tunc quidem temporis actis gratijs modestè recusauit.

Geneuam reuersus, offendit animos amicorum in P. Rami Philosophiam sedatiores; ipse quoque de impetu remittendum ratus, ita se comparauit, vt facilè omnes intelligerent, summo ingenio pietatem coniunctam, magnum adferre ætati ornamentum. Erant eodem tempore in illa vrbe præcipuorum patriæ nostræ procerum liberi, qui nunc plerique eximijs in Rep. nostra honoribus funguntur. Horum alij quum in Italiam abijssent, alij domum essent reuocati, ipse se solum & a sodalibus reliquis vno excepto amplissimæ nunc in Batauia dignitatis viro, destitutum videns, in Italiam quoque excurrere decreuit, motus imprimis famâ Iacobi Zabarellæ, qui tunc Philosophiam Patauij ingenti hominum cōcursu profitebatur. Huius igitur caussa substitit Patauij, vbi Germanos quosdam nobiles docuit Logicam. Posteà verò cursim reliquam Italiam lustrauit, in eamque profectiunculam septem nō amplius, menses, impendit;

pendit; neque Romæ vnquam ab Achatis illius sui latere recessit: ita enim cõuererat priusquam Geneuâ discederent. Vtebantur eodem hospitio, eadem mensâ, eodem lectulo: ingrediebantur vnà, egrediebantur vnà, & ad pietatis exercitia. Græcum Testamentum & Psalterium Hebraïcum secũ vnà asportarant. Sępè illum narrare memini; Italiam sibi & cõmoda multa, & damna attulisse. Inter commoda illud præcipuè ponebat, quod Romæ vidisset mysterium iniquitatis, longè fœdius magisque detestandũ, quam vnquam animo concepisset: nam quæ vel narrantur de Romana Antichristi Curiâ vel legũtur, nugas esse præ ijs quæ vidisset. Inter damna, istud: quod in Amplissimi Senatus Amsterdamensis offensiunculam ob id factum tunc temporis incurrisset; suffundentibus frigidã quibusdã, quos omninò præstitisset iudicia in ipsius reditum suspendere. Hinc ergo sumpta occasione, spargebatur in vulgus, illum Pontificis soleam deosculatum, quem non nisi in cõfertâ turbâ, vt reliqui spectatores, vidisset; nec soleat bellua honorem istum nisi Regibus ac Principibus deferre: Iesuitis adsueuisse; quos

quam audiuisset: Bellarmino innotuisse, quē nunquam cōspexisset: Religionem orthodoxam abiurasse, pro quâ paratus esset ad sanguinis vsque profusionem decertare. Hoc intereà alieno periculo discat pia & Christi Ecclesiæ deuota iuuentus; præstare, Italiam nunquam attigisse, quam tanto cum famę discrimine Antichristi mysteria cognouisse: non quod plus habeat periculi, Italiam videre, quam vicinam Antvverpiam, aut Bruxellam, aut Brugas, (multò enim plus & illis locis est libertatis, & istis superstitionis; tutiusque illic lustrare omnia licet, quā in Brabantia vel Flādria:) sed quod expediat aduersarijs omnes maledicendi, incautis omnes malè suspicandi ansas præripere: & scandalum potius non dare, qua admissum excusare.

Redux ex Italia Geneuæ consedit, ac post aliquot menses reuocatus, Amsterodamum ad Mæcenates suos & Dominos reuersus est, instructus luculento, per Christi gratiam, Geneuensium testimonio, & animo ad faciendum officium optimè comparato, si Domino Deo placeret, ipsius vti ad opus suum in Ecclesia sua ministerio: hæc enim totidē verbis

bis D. Bezæ in epistolâ, cuius autographum adseruo.

Amsterodami facilè se apud viros graues & prudentes de itinere Italico purgauit: sed infirmi quidam fratres factum illud perpetuo insectari, & in circulis suggillare, donec ipse in Ecclesia audiri cœpit, in qua simul atque conspectus est, dici non potest, quanto fauore omnium ordinum homines ad illum audiendum concurrerint. Fuit enim (vt scitis) in illo incredibilis quædam grauitas, lepore temperata, vox gracilis quidem, sed suauis, & canora, & penetrans: suada verò admirabilis. Si quid exornandum esset, faciebat ita, vt verum non excederet: si docēdum, perspicuè: si disserendum, distinctè. Iam cantus ille & flexus vocis ita erat rebus accommodatus, vt ex ijs fluere videretur. Quumque Rhetorico apparatu, & Græcorum myrothecijs non vteretur, vel quod naturâ ab ijs abhorreret, vel quod indignum diuinarum rerum maiestate iudicaret, cincinnos illos & ornatum adscititium adhibere, quum nuda sibi veritas ad sui defensionem sufficiat: tamen ita efficaciter vi & pondere argumentorum & senten-

tiarum grauitate, & scripturæ ipsius autoritate persuadebat, vt nemo illum vnquam audiuerit, qui non se commotum esse, confessus sit. Itaque alij tunc ipsum limam veritatis, alij ingeniorum cotem, alij nouaculam succrescentium errorum appellabant; nihilque in Religione, aut sacra Theologia sapere credebatur, cui Arminius non saperet. Ipsi quoque pastores & concionatores illius vrbis, viri & docti & diserti, adsurgentes illius eruditioni, plurimùm se ex ipsius concionibus quotidie proficere ingenuè agnoscebant. Atque ita Arminius noster diductis velis, secundis ventis, pleno remigio, fauentibus omnibus qui ipsum nôrant, ad famā & gloriam ferebatur; quum Deo visum est, seruū suum aduersis etiam rebus exercere, & patientiam ipsius modestiamque per crucem & afflictiones explorare: Quibus id principijs, quo successu factum sit, operæ est pretium cognoscere. Circumferebatur forte quorūdam piorū manibus libellus a pijs quibusdam fratribus in Ecclesia Delfensi scriptus aduersus D. Bezam, hoc titulo, *Responsio ad argumenta quædam Bezæ & Caluini ex tractatu de Prædesti-*

*natione in caput* IX. *ad Romanos*. Eum libellum beatæ memoriæ D. Martinus Lydius qui anteà pastorem egerat in Ecclesia Amsterdamensi, tunc verò Professorem agebat in nouâ Frisiorum Academiâ, transmiserat ad D. Arminium, rogaueratque vt aduersus fratres Delfenses patrociniũ susciperet D. Bezæ. Credebatur a D. Lydio perquam idoneus huic reï Arminius; cuius & ingenium sagax, & iudicium acre, & vim in docendo ac refutando mirificam partim famâ acceperat, partim ipse expertus fuerat: Neque erat omninò ab hoc instituto Arminius alienus; recẽs enim ex Scholâ Geneuensi auribus circumferebat sonum lectionum & argumentorum D. Bezæ. Accingit ergo sese operi. Sed dum molitur refutationem, dum argumenta vtrimque expendit, dum confert scripturas, dum se torquet ac fatigat, vero victus, primùm sequutus est sententiam illam ipsam quam oppugnabat; posteà in eam diuinà virgulà & Spiritus sancti ductu, delatus est, quam ad finem vsq; vitæ constanter adseruit. Decretum scilicet Dei æternum in Prædestinatione non esse, eligere præcisè & absolutè ad salutẽ quosdam,

dum ab Hiſpano captum, militem præſidiarium occiſum, ciues iugulatos, domos incenſas eſſe. Quo rumore in tantũ perculſus eſt, vt totos dies quatuordecim in fletu perpetuo & lacrymis conſumpſerit. Itaque impatiens relicta Haſſia in Batauiam excurrit, certus vel patriæ ruinas videre, vel mortem occumbere. Vbi venit, nihil offendit præter rudera, ciues pleroſque, matrem, ſororem, fratres, conſanguineos, miſerè interemptos, *Et campos vbi Troia fuit*. Redijt ergo Marpurgum, itinere ex patria in Haſſiam vſque pedibus confecto. Intereà Illuſtriſſimi Principis Auriaci auſpicijs erecta apertaque eſt noua hæc Batauorum Academia: quod ille ſimul atq; in Haſſia intellexit, ſtatim cœpit domuitionem adornare. Roteradamum igitur venit, quo ciues plerique Oudevvaterani, (reliquiæ Danaum atque immitis Achillei) & fideles multi Amſterdamo exſules conceſſerant. Agebat tunc illius Eccleſiæ paſtorem pater meus, Petrus Bertius; Principi verò à concionibus Gallicis & conſilijs erat D. Ioannes Taffinus: vtrique mirificè placuit adoleſcentis indoles, alacritas, promptitudo, ingenium. Pater quum

eſſet

esset ὀψιμαθὴς (neque enim ante annum trigesimum Latinas litteras attigerat) rogatus ab amicis domo ipsum sua libentissimè excepit. Consilium autem erat amicorum ipsum in nouam istam Academiam ablegare: quam occasionē pater non negligendam ratus, me, qui tunc in Anglia litteris operam dabam euocat. Simul ergo in hanc Scholam missi, ex eo semper animis, studijs, volūtatibus fuimus coniunctissimi. Neque verò hic ego ætatem tunc temporis actam cōmemorabo. Vnum hoc dicam: Tantum fuisse iuuentutis in litteris & sapientiæ studio contentionem, tantam in doctores reuerentiam, tantum zelum atq; impetum pietatis, vt vix maior esse potuerit. Sed vnus præ reliquis eminebat in nostro ordine Arminius; Si quid scribendum esset, si quid dicendum, quærebatur Arminius: Si disceptatio oborta Palęmonem requireret, consulebatur Arminius. Memini quum Dominus Lambertus Danæus doctor & professor noster publicè illū ab ingenij dotibus & profectu, & virtute laudaret; nosque illius exemplo ad S. Theologiam alaciter capessendam excitaret. Quid ego hic Poeticæ studium refe-

ram, in quo excelluit? quid Mathematicæ? quid reliquæ Philoſophiæ? Nihil ille iſtorum attigit, quod non penetrauerit; nihil adgreſſus eſt, quod non feliciter abſoluerit. Atque hæc quidem vſque ad annum M. D. LXXXII. quo anno Ampliſſimus Senatus Amſterdamenſis ipſum Geneuam profectus vberioris capiendi cauſſa ablegauit. Quo quum veniſſet, audiuit Reuerendum & beatæ memoriæ ſenem D. Theodorum Bezam explicantē epiſtolam ad Romanos, cum ingenti omnium hominum admiratione. Erat enim in Beza ſupra cæteros mortaleis flexanima oratio, dictio expedita, ſermo perſpicuus, vox ſuauis, doctrina verò omnium eruditorum hominum iudicio excellens. Hunc igitur ſibi præ alijs omnibus ſequendum atque imitandum delegit. Sed quum non poſſet ſibi ſtatim præcipuorum quorundam virorum in ea Schola gratiam & fauorem parare, idque (dicendum enim quod res eſt) ob ſolam Philoſophiam Petri Rami, quam ille publicè quidem magnâ contentione defendebat, priuatim verò etiam ſuos auditores docebat, coactus eſt Baſilæam concedere: ubi quantus inveni honor

honor delatus ſit, quæ fuerint omnium ordinum de illius virtute ſuccreſcente præſagia, teſtari poſſunt ij, qui illius peregrinationis comites fuerunt. Atque hæc quidem iudicia & acclamationes ita ille admiſit, vt nunquam ad arrogãtiam animum deflexerit, ſed reapſe oſtenderit, nolle ſe ambitu eniti, ſed vera virtute velle eo contendere, ad quod erat DEI benignitate deſtinatus.

Solent Baſileæ ferijs vindemialibus doctiores ſtudioſi publicè interdum in Academia exercitij gratiâ aliquid extra ordinem docere. Eum laborem Arminius noſter haud inuitus ſuſcepit, laudatus ob id a Reuerendo viro D. Iacobo Grynæo, qui etiam lectiones ipſius præſentia ſua aliquoties cohoneſtauit: Idem quoq; in diſputationibus publicis ſiquid grauius proponeretur, aut dignus vindice nodus occurreret, non eſt veritus, honoris cauſſâ Arminium noſtrum media in ſtudioſorum turba ſedentem citare, & (vt Grynæi candorẽ agnoſcas) dicere, Reſpondeat pro me Hollandus meus. Eopſe tempore Arminius tanta in gratia & fama eruditionis erat, vt ei Geneuam diſceſſuro facultas Theologica titu-

lum

lum Doctoris etiam publico sumptu detulerit: quem ille, vt digniorem quam qui in eam ætatem conferri posset, tunc quidem temporis actis gratijs modestè recusauit.

Geneuam reuersus, offendit animos amicorum in P. Rami Philosophiam sedatiores; ipse quoque de impetu remittendum ratus, ita se comparauit, vt facilè omnes intelligerent, summo ingenio pietatem coniunctam, magnum adferre ætati ornamentum. Erant eodem tempore in illa vrbe præcipuorum patriæ nostræ procerum liberi, qui nunc plerique eximijs in Rep. nostra honoribus funguntur. Horum alij quum in Italiam abijssent, alij domum essent reuocati, ipse se solum & a sodalibus reliquis vno excepto amplissimæ nunc in Batauia dignitatis viro, destitutum videns, in Italiam quoque excurrere decreuit, motus imprimis famâ Iacobi Zabarellæ, qui tunc Philosophiam Patauij ingenti hominum cōcursu profitebatur. Huius igitur caussa substitit Patauij, vbi Germanos quosdam nobiles docuit Logicam. Posteà verò cursim reliquam Italiam lustrauit, in eamque profectiunculam septem nō amplius, menses, impendit;

pendit; neque Romæ vnquam ab Achatis illius sui latere recessit: ita enim cõuererat priusquam Geneuâ discederent. Vtebantur eodem hospitio, eadem mensâ, eodem lectulo: ingrediebantur vnà, egrediebantur vnà, & ad pietatis exercitia. Græcum Testamentum & Psalterium Hebraïcum secũ vnà asportarant. Sępè illum narrare memini; Italiam sibi & cõmoda multa, & damna attulisse. Inter commoda illud præcipuè ponebat, quod Romæ vidisset mysterium iniquitatis, longè fœdius magisque detestandũ, quam vnquam animo concepisset: nam quæ vel narrantur de Romana Antichristi Curiâ vel legũtur, nugas esse præ ijs quæ vidisset. Inter damna, istud: quod in Amplissimi Senatus Amsterdamensis offensiunculam ob id factum tunc temporis incurrisset; suffundentibus frigidã quibusdã, quos omninò præstitisset iudicia in ipsius reditum suspendere. Hinc ergo sumpta occasione, spargebatur in vulgus, illum Pontificis soleam deosculatum, quem non nisi in cõfertâ turbâ, vt reliqui spectatores, vidisset; nec soleat bellua honorem istum nisi Regibus ac Principibus deferre: Iesuitis adsueuisse; quos

quam audiuisset: Bellarmino innotuisse, quē nunquam cōspexisset: Religionem orthodoxam abiurasse, pro quâ paratus esset ad sanguinis vsque profusionem decertare. Hoc intereà alieno periculo discat pia & Christi Ecclesiæ deuota iuuentus; præstare, Italiam nunquam attigisse, quam tanto cum famæ discrimine Antichristi mysteria cognouisse: non quod plus habeat periculi, Italiam videre, quam vicinam Antvverpiam, aut Bruxellam, aut Brugas, (multò enim plus & illis locis est libertatis, & istis superstitionis; tutiusque illic lustrare omnia licet, quā in Brabantia vel Flādria:) sed quod expediat aduersarijs omnes maledicendi, incautis omnes malè suspicandi ansas præripere: & scandalum potius non dare, qua admissum excusare.

Redux ex Italia Geneuæ consedit, ac post aliquot menses reuocatus, Amsterodamum ad Mæcenates suos & Dominos reuersus est, instructus luculento, per Christi gratiam, Geneuensium testimonio, & animo ad faciendum officium optimè comparato, si Domino Deo placeret, ipsius vti ad opus suum in Ecclesia suâ ministerio: hæc enim totidē ver-

bis

bis D. Bezæ in epistolâ, cuius autographum adseruo.

Amsterodami facilè se apud viros graues & prudentes de itinere Italico purgauit: sed infirmi quidam fratres factum illud perpetuo insectari, & in circulis suggillare, donec ipse in Ecclesia audiri cœpit, in qua simul atque conspectus est, dici non potest, quanto fauore omnium ordinum homines ad illum audiendum concurrerint. Fuit enim (vt scitis) in illo incredibilis quædam grauitas, lepore temperata, vox gracilis quidem, sed suauis, & canora, & penetrans: suada verò admirabilis. Si quid exornandum esset, faciebat ita, vt verum non excederet: si docēdum, perspicuè: si differendum, distinctè. Iam cantus ille & flexus vocis ita erat rebus accommodatus, vt ex ijs fluere videretur. Quumque Rhetorico apparatu, & Græcorum myrotheciјs non vteretur, vel quod naturâ ab ijs abhorreret, vel quod indignum diuinarum rerum maiestate iudicaret, cincinnos illos & ornatum adscititium adhibere, quum nuda sibi veritas ad sui defensionem sufficiat: tamen ita efficaciter vi & pondere argumentorum & senten-

*natione in caput* IX. *ad Romanos*. Eum libellum beatæ memoriæ D. Martinus Lydius qui anteà pastorem egerat in Ecclesia Amsterdamensi, tunc verò Professorem agebat in nouâ Frisiorum Academiâ, transmiserat ad D. Arminium, rogaueratque vt aduersus fratres Delfenses patrociniũ susciperet D. Bezæ. Credebatur a D. Lydio perquam idoneus huic rei Arminius; cuius & ingenium sagax, & iudicium acre, & vim in docendo ac refutando mirificam partim famâ acceperat, partim ipse expertus fuerat: Neque erat omninò ab hoc instituto Arminius alienus; recẽs enim ex Scholâ Geneuensi auribus circumferebat sonum lectionum & argumentorum D. Bezæ. Accingit ergo sese operi. Sed dum molitur refutationem, dum argumenta vtrimque expendit, dum confert scripturas, dum se torquet ac fatigat, vero victus, primùm sequutus est sententiam illam ipsam quam oppugnabat; posteà in eam diuinâ virgulâ & Spiritus sancti ductu, delatus est, quam ad finem vsq; vitæ constanter adseruit. Decretum scilicet Dei æternum in Prædestinatione non esse, eligere præcisè & absolutè ad salutẽ quosdam,

dam, quos nondum decreuisset creare; quod voluit D. Beza: neque verò, posito decreto creationis & præuiso lapsu, quosdam, citra antecedentem rationem Iesu Christi; quod volebant fratres Delfenses; sed ex creatis & lapsis eos, qui vocanti Deo verà fidei obedientia respõsuri essent, quod ab eruditissimo Melanthone, & Nicolao Hemingio, & alijs permultis Theologis adsertum est. Et licet ea iam olim Ecclesiarum nostrarum fuerit libertas, atque etiam nunc permultis locis sit, vt in hoc argumento, in quo nulla vnquam prisca Synodus quicquam definiuit, vnam è pluribus, & doctorem deligere sine alicuius offensa semper licuerit: (nã vt alios omittã, D^or^ Ioannes Holmanus Secundus, qui grauissimo præstantium Theologorum, atque imprimis D D. Curatorũ consilio, post sollicitatos frustra D. Pezelium, & Mollerum, aliosque euocatus, ex hoc ipso loco docuit; sententiam Hemingij, vt scimus, amplexus est, eamque acriter defendit) tamen non defuere Amsterodami, qui negotium Arminio in hac caussâ facesserent, accusarentque ipsum, quod a cõmuni receptaque in Ecclesijs nostris sententia rece-

recederet;quorum tamen repressa est subitò Senatus autoritate & fratrum æquanimitate vehementia:adeò, vt tranquillè, & pacatè, addo etiam amicè & fraternè, semper Amsterodami cum Collegis vixerit, sine vllâ simultatis, vel odij, vel inuidiæ nubeculâ. Et erat alioque vir iste Dei nō tantùm ad candorem factus, sed sanctis quoque Christi præceptis, & spiritu, ita insuper efformatus, vt placide dissentiētem ferret;neque facile de quoquam desperaret, qui modo Christum in scripturis loquentem audire vellet:quam illius diuinam moderationem & ęquanimitatem omnes & nouimus & admirati sumus, tanto magis, quo nos ipsos ab istis bonis proprio conscientiæ nostræ testimonio sentimus adhuc abesse longius.

Quum autē obitu Clarissimorum & præstātissimorum virorum D. Doctoris Iunij & D. Lucæ Trelcatij senioris destituta Professoribus Academia Herculē requireret, qui sustinere hunc orbem posset, (quem intereà solus, & à Collegis destitutus fulciębat Atlas, Reuerendus vir Doctor Franciscus Gomarus) vna omnium voce, & publico patriæ consensu

itum

itum est ad Arminium, qui nihil minus cogitans, Ecclesiam Christi iam decimum quintum annum Amsterodami curabat. Sed quũ Amsterdamenses negarent se illius opera carere posse, quod hunc præcipuè dicerent habere se, quem succrescentibus hæreseon monstris opponerent, dici nõ potest, quanta tunc bonorum fuerit cõsternatio. Deliberatum est variè: nihil non tentatum. Profecti sunt publico nomine ipsi Acadamię nostræ Curatores, Nobilissimus Dousa, & D. Neostadius, vnà cum Amplissimo viro Reip. nostrę Syndico D. Nicolao Zeystio: missus eodem ab Illustrissimo Principe D. Ioannes Vtenbogardus pastor Ecclesiæ Hagiensis, & ex supremâ Curiâ D. Nicolaus Cromhoutius. Hi omnes variè Prudentissimum eius Reip. Senatum, & Synedrium pastorum seniorumque permovere atque impellere. Vix tandem multis laboribus, precibus, ipsa quoque Illustrissimi Principis intercessione obtentum est, vt dimissus operam præstaret Academiæ. Obstabant nihilo secius, qui optimos conatus plerumque solent subuertere, suspicionum rumusculi; quibus innocentiæ suæ & candoris

& eru-

& eruditionis clypeum opposuit. Hoc fretus, Dei in reliquo benedictionem securus exspectabat. Ergo re Hagæ Comitis apud D D. Curatores audita disceptatáque in præsentia grauium quorundam Theologorum, deprehensum est, *suspiciones illas malè fultas fuisse, neque caussam fuisse, cur de fideli Christi seruo quisquam iniquius sentiret: libertate enim prophetandi in Ecclesia concessâ vsum, nihil docuisse quod Religioni Christianæ esset inimicum.* Doctoris ergo gradum Deo hominibusque fauentibus consequutus est publicè in hac ipsa Academiâ primus, cõferente eum solenniter ex hoc ipso loco Anno M.DCIII Reuerendo viro D. Doctore Fr. Gomaro. Sic igitur Iacobus Arminius in Fr. Iunij locum iubentibus ita Curatoribus surrogatus est. Et ne quid ipsius hic fidei atque autoritati deesset, ob ea quæ Amsterodami aliquando sparsa fuerant, placuit presbyterio Ecclesiastico illum discedentem luculentissimo testimonio exornatum, omnibus pijs, probis, & doctis viris commendare. Quod ita sonat,

# TESTIMONIVM ECCLESIÆ AMSTERDAMENSIS.

*SI ipsa æquitatis ratio, in communi hominum societate, pro lege iam diu ratum voluit, vt commendatione præclarâ, veritatisque testimonio honestiore digni iudicarentur, qui vspiam de repub. optimè meriti essent: multò magis honore isto digni sunt, qui in verbo Dei laborantes, sacro sancto Euangelij ministerio, in Ecclesiâ Domini nostri Iesu Christi pluribus annis, singulari cùm fructu, tùm laude præfuerunt. Quare quum idipsum nunc a nobis, Reuerendus in Domino Frater D. D. Iacobus Harminius petierit, huic nullo modo denegandum duximus.*

*Hoc itaque scripto, omnibus ac singulis testatum velimus, prænominati viri ornatissimi ac in Christo symmystæ omniũ Charissimi, cùm vitæ inculpatæ, tùm sanæ doctrinæ, tùm denique morum summam integritatem, ita nobis iam diutinâ consuetudine esse perspectam & exploratam, vt nihil antiquius nobis sit, quàm illius consilio, operâ, familiaritate & necessitudine semper frui, amicitiamque, quæ iam multo tempore inter nos fuit, colere. Cæterùm, quandoquidem aliud Deus Opt. Max. de ipso nobisque constituisse videtur; est, de quo ipsi Domino Deo nostro maximas agamus gratias*

*tias, pro summâ hactenus suâ erga nos, totamque hanc Ecclesiam nostram beneuolentiâ, quâ confectum est, vt ex huius prædicti Domini, ac cooperarij in vineâ Christi omnium dilectissimi studio & labore, inter nostros hîc indefessè nobiscū & alacriter exantlato, fructus & videre & iucundissime percipere potuerimus non pœnitendos. Dilectissimo autem huic, in Domino Fratri, pro coniunctis suis, in Domino viribus, pro alacritate in æquis paribusque nobiscum functionis suæ partibus sedulo tuendis, pro promptissimo vbiuis nobis communicato consilio, nihil non sanè debere, omnes, animo lubentissimo confitemur. Quare, vt breuiter verbo vno omnia dicamus, (quandoquidem ipsius & pietas & summa probitas, nec non eruditio singularis, suo id sibi iure quodammodò, vendicare videtur) ità Amplissimum hunc Dominum, ac Fratrem in Christo maximè venerandum, omnibus pijs, probis, doctissimisq; viris commendamus, vt maiori studio, magisue ex animo commendare non possimus. Datum in Synedrio nostro Amstelrodami 8ª Septembris 1603.*

Omnium nomine

Verbi Administer diuini, Ioannes Vrsinus Præses Synedrij.

Ioannes Hallius Ecclesiastes Amstelrodamensis.

Ioannes Halsbergius eiusdem Ecclesiæ Pastor.

Sed & Classis vniuersa συστατικὰς ipsi dedit in hanc formam.

# TESTIMONIVM CLASSIS AMSTERDAMENSIS.

*VNiuersis & singulis præsens hoc nostrum testimonium lecturis vel audituris, salus & Pax per vnicum Mediatorem Christum:*

*Quoniam Ornatissimus Doctissimusque vir D. Iacobus Arminius ab Illustribus & doctrinâ clarissimis Dominis Curatoribus Academiæ quæ est Lugduni Batauorum à Ministerio sancto (quo multis iam annis summa cum laude in Ecclesiâ Amsterodamensi functus est) ad publicam professionē sacrosanctæ Theologiæ vocatus & publicè inauguratus est: nos discedentem præsenti hoc nostro scripto, licet exiguo, iisdem, & omnibus probis commendare, nostroque testimonio, (vt moris est) cohonestare voluimus. Testamur itaque nos serui Iesu Christi, vnà cum Senioribus eiusdem Classis Amsterodamensis, prædictum D. Doctorem Arminium iam ante annos quindecim fuisse membrum nostræ classis, quo tempore sanam doctrinam purè, magno cum fructu docuit, Sacramenta iuxtà institutionem Domini administrauit, & veram Christianamque*

*namque Religionem magno cum zelo propagauit, suaque diligenti præsentiâ Classicalem cœtum semper ornauit, suo quoque prudenti consilio, res arduas magnique momenti cum alijs composuit, onera omnia imposita ad ædificationem Ecclesiarum spectantia, promptè semper sustinuit, sanctamque suam vocationem honestate & probitate vitæ in hunc vsque diem ornauit. Breuiter, sese talem cum in munere sancto, tum in vitæ consuetudine ergà omnes, qualem verum Christi seruum decet, præstitit: vt pro suâ ergà nos beneuolentiâ & humanitate quâ quemque nostrum complexus est, maximas & immortales ipsi agamus gratias. Rogamus itaque Vniuersos, & singulos, cuiuscunq; sint Ordinis, vt prænominatum D. D. Iacobum Arminium, talem quem diximus, habeant, agnoscant, complectantur, foueantque. Eum quoque tali honore quo dignus est (propter eximia eius ingenij, & singularia in illo luculentia dona) afficiant, ac prò virili sanctos eius conatus adiuuent, ad Dei nominis gloriam, nec non Scholæ & Ecclesiæ ædificationem. In quem finem nos eius Collegæ & conserui multiformē Spiritus sancti gratiam illi ex animo omnes comprecamur. Amsterodami, è Classicali nostro conuentu, Calendis Septembris, 1603.*

Ioannes Halsbergius, Præses Classis.

Ioannes Hallius, Ecclesiastes Amsterodamensis Scriba Classis, eiusdemque nomine.

Satisne honestè ac laudabiliter de Arminio fratres testati sunt? Sic ergo ille in Academiã venit. Ex eo tempore Collegæ omnes amicum coniunctissimum, Schola Senatorem, Professorem, Rectorem, studiosi omnes patrem humanissimum experti sunt.

Vix pedem intulerat in Academiam, quũ statim deprehendit S. Theologiæ consecraneos quæstionum dumetis sese implicare, & neglectis scripturis spinosa quædam Theoremata & Problemata sectari. Hoc ille malum, re cum Collegis communicata emendare studuit; & fecit magnâ ex parte: reuocauit enim priscum illud, & masculũ, & torosum studendi genus, iuuenesque palabundos ad fontes salutis, puros illos atq; illimes fontes, retraxit, quantum potuit, vt ex ijs religio quæreretur: non illa quæ altercationibus aut nuda speculatione contenta ad animos pascendos comparata est; sed quæ charitatem spirat, quæ veritatem eam sectatur quæ est secundũ pietatem: quâ discunt adolescentes iuueniles cupiditates fugere, domitisque carnis illecebris vitare mundi inquinamenta, eaque facere & pati, quæ Christianum a Gentili discernunt.

Illud

Illud identidem inculcans Seruatoris nostri,

*Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, nequaquam ingrediemini in regnum cælorum.*

Afficiebat ipsum intereà Christianitatis tã miserè diuulsæ & distractæ consideratio, de quà raro sine lacrymis, nunquam sine altis gemitibus loquebatur. Ostendebat, optare se, vt disiecta Ecclesiæ membra in vnum aliquando corpus ex precepto Domini coalescerent. Iudicabat, id quod res est, Curiam Papalem non quærere ea quę sunt Christi, sed voluptates, honores, lucrũ, pompam huius seculi, & tyrannidem in animas pariter & in corpora. Proinde de rebus salutis & communi pace constituendà non posse aut debere quēquam cum illa meretricula inire consilia. In alijs magna parte esse studium conscientiæ & pietatis: ac non tam intentione aut proposito peccari, quam dubijs ambagibus; in quibus multos ignorantia, multos maiorum autoritas; multos dogmatũ vel a se positorum vel diu defensorum pertinacia; multos scripta reuocandi vel retractandi pudor, multos denique iniquum de fratribus iudicium a concordia

arce-

arcerent: Quibus omnibus medicinam putabat adferri posse, non a gladio, cruce, laqueo, viuicomburio; sed a precibus & placida atque amicâ institutióne, & sanctæ conuersationis exemplo. Itaque cum omnes ad pietatem hortabatur, tum illud imprimis curabat, vt resectis spinosis quæstionibus & ingenti inanium adsertionum pondere quibus Scholæ perstrepunt, ea duntaxat ex scripturis peterentur, quæ ad fidei necessitatem facerent, & ad vitam benè beatéque in Christo transigendam. Quem ipsius conatum elusurus Satan, incautis persuadere studuit, fieri hæc ab ipso ad gloriam aucupandam, ad ostētandam ingenij vim, ad res innouādas, ad serram contentionum & altercationum reciprocandam. Mouit igitur veterem Camarinam iterùm malesuada suspicio; sed eam Professores ipsi & Collegæ prudenti Curatorum consilio in ipsa herba oppressere: cuius in rei fidem hoc instrumentum proferendum putaui.

EX GESTIS ACADEMICIS.

*Professores facultatis Theologicæ, quum ipsis relatum esset, Classem Dordracenam grauamen hac formâ*

*mâ conceptum inter cætera posuisse,*

*Quum in Ecclesia & Academiâ Leidensi, rumor sit, controuersias quasdam circa doctrinam reformatarum Ecclesiarum obortas esse, censuit Classis, necessarium esse, ut de ijs controuersijs quàm tutissimè citissimeque componendis Synodus deliberet, ut schismata omnia & offendicula quæ inde oriri possunt, tempestiuè amoueantur, conseruenturque unio Ecclesiarum reformatarum contra aduersariorum calumniam,*

*D.D. Curatoribus & Consulibus sciscitantibus, num quæ ipsis controuersiæ istiusmodi essent perspecta: re inter se primùm examinata seorsim perpensáque vnanimiter responderũt: Optasse se, a Classe Dordracena melius ordinatiusque in hac re actum esse: Inter studiosos quidem opinari se plura disputari, quam ipsis gratum sit; inter se verò, hoc est inter facultatis Theologicæ professores, nullum discrimen, quod quidem constet, esse in fundamentis doctrinæ. Daturos quoq; operam, vt quæ inter studiosos disputationes istiusmodi obortæ sunt, minuantur. Actum x. Aug. A° 1605. Subscripsere,*

Iacobus Arminius pro tempore Rector Academiæ.
Franciscus Gomarus.
Lucas Trelcatius.

*Eodem die quum idem quoque propositum esset D. Iohanni Kuchlino Regenti Collegij Theologici, respondit, se ijs quæ a D D. professoribus dicta erant, suffragari. Subscripsit* Ioannes Kuchlinns Regeus.

Atque hæc quidem tunc ita acta. Posteà cognitionem eorum quæ ferebantur, Hagæ Co-

 mitis

mitis suscepere Illustrium Ordinum voluntate Senatores Curiæ Augustæ: qui quid de re omni senserint, referrem, nisi id omnes quotquot adsunt, scire arbitrarer. Sed dum sic luctatur, collecto tandem ex laboribus, pertinaci sessione, adsiduis studijs, & certaminibus sine vlla missione intercurrentibus, morbo, athleta Christi lectulo tandem defixus est: Quid autem mirum si commotus fuerit famæ suæ, salutis, & laborum dispendio; quum neque viro bono quicquam famâ suâ sit antiquius, neque Christiano salute, neq; S. Theologiæ doctori petitis ex scriptura demonstrationibus? *Oppressio*, inquit Siracides, *insanire facit sapientem.* eadem huic dolorem, ex dolore morbum cōciliauit, ex morbo mortem. O tetrum, & vipereum, exque imo tartaro excitatum malum! Quoties illum ex Prophetâ priuatim etiam cum gemitu exclamantem audiuimus? *Væ mihi mater mea, quare genuisti me, Virum discordiæ in vniuersa terra? nec fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: & tamen omnes maledicunt mihi.* Reuocauit tamen seipse ad rationis & tranquillitatis septa, animo nunquam non excelso, nunquam non in fratres suos æquo & co-

& comi:quorum caussâ paratus erat quaslibet maleuolorum contumelias deuorare & concoquere, stomacho non Catonis, sed spiritus Christi. Erupit autem latẽs visceribus malum præcipuè VII Februarij huius anni: quod quidem tunc ita se prodidit, vt medici statim lentâ & cautâ curatione opus esse iudicarent. Etsi verò initio æger vix corpus traheret: tamen per interualla, quum liceret, lectionum & vocationis suæ labores non intermisit; neque caussæ suæ, vbi opus fuit, defuit. Itaque Hagam iterum iterumque euocatus excurrit, & præclaram fidei suæ professionem edidit coram multis testibus: & post vltimã illam amicam collationem hoc vno secundum Deum & conscientiæ suę testimonium se solatus est, quod in panegyri totius Hollandię esset a Dominis suis Clementissimis patienter auditus: quorum ille prudentiæ tantum tribuebat, vt, si quid sibi humanitus eueniret; non defuturos speraret, qui caussæ æquitatem quam semel cognouissent, essent sapientiæ suæ & fauoris patricinio defensuri. Hagâ domum delatus, vix se composuerat ad Dominorũ suorum mandata exsequenda, consignandaque

accuratè quæ a se fuerant in amicâ collatione proposita; quum iterum illum vis morbi adorta est, tanto vehementius, quanto plus incrementi ex morâ & virium imbecillitate contraxerat. Itaque morbo pressus, litteris ad Illust. Ordines scriptis, sese modestè excusauit, quod ipsorum volūtati dicto die parere non posset. *Selectulo ægrum detineri: consignasse jam magnā partē, quam nunc Deo ita volente cogatur abrumpere. Alias se auditum, remque omnē tunc scripto fuisse exhibitam, Posse illud necessitati satisfacere.. Si tamen ea ipsa quæ consignârat omninò cuperent, curâturum, vt se vel restituto per Christi gratiam integra omnia & perfecta haberent, vel defuncto, abrupta. Quam verò confessionem edidisset, tantum abesse, vt de eâ quicquam dubitaret, vt contrà constanter iudicet, eam per omnia sacris litteris conuenire. Proinde se in ea perstare: paratum cum hac ipsâ fide coram tribunali Iesu Christi Filij* DEI *iudicis viuorum & mortuorum vel eo ipso momento comparere.* Intereà inualescebat indies morbi vis, obnitentibus quidem quantum per artem atque industriam fieri potuit, naturæque vires prolectantibus Clarissimis & excercitatissimis medicis, D. Doctore Pauio, D. Sebastiano Egberti, D. Henrico Saelio

D. Rei-

D. Reinero Bontio: sed frustrà; quum indomita mali pertinacia ipsi quoque arti faceret opprobriũ: Altius enim defixa quam vt euelli posset, noua indies excitabat symptomata: febres, tussim, hypochondriorum extensionem, exspirandi difficultatem, oppressionem a cibo, laboriosos somnos, atrophiam, arthritidem; nullamque ægro pausam vel requiem concedebat: accessere posteà dolores in intestinis, ilio, & colo, cum obstructione nerui optici sinistri, & ejusdem oculi obfuscatione: nihilo intereà minus deseuiente calumnia, aut de consueta atrocitate remittente; cujus hoc loco immane, stupendum, tetrũ, atque horribile, & ad posterorum memoriam transmittendum commemorabo exemplum. Quum de alterius oculi obfuscatione innotuisset; fuere, qui hoc inter pœnas quas Deus hostibus suis, & impijs contemtoribus sui nominis comminatur, referre auderent: adfirmarentque, hunc præ alijs insignitè improbum vel ex supplicio isto. Et ne schema huic tam fœdo atque immani facinori deesset, consulti sunt libri sacri, quos nunquam Christiano nisi cum veneratione & precibus adire licuit.

Inuentus est apud Zachariam Prophetam locus de oculorum & totius corporis tabe, ita sonans.

XIIII. 12. *Hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerint aduersus Ierusalem. Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo.*

Et alter.

XI. 17. *O pastor idoli, derelinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dexterum eius: brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.*

Is locus in sanctum Christi seruum, corpore quidem adflictum, sed animo nũquam nõ felicẽ, nunc verò etiam felicissimum contortus est. Horresco tam enormis, & detestandi, & impij facti memoria. Quis tu es ô homo, qui fratrem tuum condemnas propter quem Christus sanguinem suum profudit? quid seruum Dei petitis quasi ex ipso cælo oraculis insectaris, quem preclarè de Ecclesia vniuersa meritũ non ingrata posteritas agnoscet? quid iudicium tibi vsurpas in fratrem, quem amari præcepit Dominus? Audi ipsum.

Non

*Non peccauit iste, neque parentes eius, sed hæc fiunt vt manifestentur opera Dei.* Ioan. 17. 18.

Audi iterum eundem.

*Nolite iudicare, ne iudicemini.* Mat. VII, 1.

Audi Apostolum.

*Mihi pro minimo est quod iudicor a vobis, aut ab humano iudicio. Qui iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc erit laus vnicuique a Deo.* 1. Cor. IV. 4

Adeone tu securus es euentus tui, vt constet te non vel acerbiore dolore cruciandum? Et tamen non dexter oculus laborauit, sed læuus, neq; excœcatio fuit, sed obfuscatio duntaxat, neq; exsiccatũ est brachiũ, sed intumuit. Lingua verò ad extremum vsque articulum vitæ officio suo expeditè functa est. Ita miseris hierophantis supera, infera, dextera, læua, diuina, humanaque pariter quum volunt ancillantur. Fuere etiam qui de nomine ludentes VANI ORBIS AMICVM, comminiscerentur: quasi non idem aliquando impietas in sancto Christi nomine ausa fuerit? Abite scarabæi, sæculi incommoda. Quid non tentabitis in

seruo,

seruo, qui ipsi Deo & Domino vitæ non pepercistis? Sed redeo ad id vnde digressus fueram. Hisce omnibus malis fatigatus, constantem tamen animum & placidam mentem semper seruauit. Itaq; de festivitate illa & lepore, & consueta hilaritate frontis, & pectoris candore nunquam quicquam remisit, accedentibus ad Deum pro se & pro Ecclesiæ concordiâ precibus ardentissimis. Quam crebræ fuerunt, quam ferventes illius ad I. Christum in morbo eiaculationes? quæ gaudia sibi pollicebatur? qua fidei perseuerantia extremum illum sibi in terris diem exspectabat? Si fratres se ad preces componerent, ipseque dolore impediretur, jubebat subinde exspectare, donec ad se rediisset, vt vnà posset hoc fraternitatis officio defungi. Precum formulæ è pluribus paucæ istæ notatæ sunt. *Magne Pastor ouium, qui per sanguinem æterni fœderis reductus es ex mortuis, Domine & Seruator Iesu, adesto mihi oui infirmæ atque adflictæ.*

*Domine Iesu, fidelis & misericors Pontifex, qui in omnibus similiter tentari voluisti absque peccato, vt ipsa experientiâ edoctus quam graue sit Deo per passiones obedire, posses nostrarum infirmitatum sensu affici,*

*miserere*

*miſerere mei; ſuccurre mihi ſeruo tuo, decumbenti, & tot malis preſſo. Deus ſalutis meæ, redde animam meam idoneam regno tuo cæleſti, corpus verò reſurrectioni.* Quum autem inualeſcente vi mali a medicis eſſet admonitus, vt ob incertos vitæ exitus diſponeret domui ſuæ, & ſi quid vltima voluntate mandatum vellet, curaret; tantâ æquanimitate ſe ad mortem compoſuit, vt amici adſtantes qui in omni vita mores ipſius obſeruauerant, tantam tamque heroïcam in extremo actu moderationem fuerint admirati, petierintque ab eo vltimum beatè moriendi exemplum, a quo iampridem multa didicerant rectè viuendi. Quum igitur ſentiret tempus imminere reſolutionis ſuæ, neque ignoraret Diaboli inſidias, nihil prius habuit, quã vt in condendo teſtamento breuem ipſe conſiliorum ſuorum vitęque rationem dictaret; Eam, quia fidelis doctoris officium continet, in exemplum inque teſtimonium recitabo.

## EX TESTAMENTO.

*Ante omnia commendo animam meam quando ea ex corpore ſuo emigrabit, in manus Dei creatoris ſui*

*& fidelis Saluatoris, corã quo testor me bona conscientia in munere meo & vocatione simpliciter & sincerè ambulâsse: sollicitè admodum & curiosè hoc cauens, ne quid proponerem aut docerem, quod non adhibita ante diligenti ex scripturis sacris disquisitione compe-rissem cum iisdem scripturis ad amussim conuenire; quæque ad propagationem amplificationemque veritatis, Religionis Christianæ, veri Dei cultus, communis pietatis, & sanctæ inter homines conversationis, denique ad conuenientem Christiano nomini tranquillitatem & pacẽ iuxta verbum Dei possent conferre, excludens ex iis Papatum, cum quo nulla vnitas fidei, nullum pietatis aut Christianæ pacis vinculum seruari potest.*

His igitur ita peractis, dies aliquot in inuocatione Christi, & gratiarum actione, & meditatione vitæ melioris transmissi sunt: quibus D. Ioannes Vtenbogardus, & D. Hadrianus Borrius ipsum pre aliis frequenter inuiserunt: vterq; veteris amicitiæ & variorum discriminum societate ipsi coniunctissimi: hic verò etiam in quotidiano precum apud ægrũ officio præstando adsiduus. Tandem verò XIX: Octobris, circa meridiẽ, fidelis iste Dei seruus, defunctus strenuè omnibus militiæ suæ stipendiis, consummato cursu, decertato

bono

bono illo certamine, seruata fide, animā suam iam pertæsam curarum, iam saturam ærumnarum huius mundi, iam liberationem exoptantem, iam sanctorum gaudia prægustantem, iam Christum Deum suum ac redemtorem cernētem, oculis in cælum sublatis, placide, inter sanctas corū qui aderant, preces, Deo Patri creatori suo, Filio redemtori suo, Spiritu Sancto sanctificatori suo reddidit, acclamantibus omnibus, *Moriatur anima mea morte iustorum.*

Ita occidit nobis etiam iste Sol: ita mortuus est iustus, quo mundus iste dignus non fuit: ita sublatus est Pater tot Prophetarum: ita curru Israëlis & equitibus eius in altum à nobis subuectus est IACOBVS ARMINIVS, & nunc immunis, liber, atque expeditus ærumnis, habet coronam tot laboribus, tanta perseuerantiâ fidei, tanta sanctimoniâ expetitam fruiturque cælesti Ierusalem, inter frequentiam multorū millium angelorum, & Ecclesiam primigenitorum qui conscripti sunt in cælis: videtque iudicem omnium, & spiritus iustorum perfectorum, & Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinem adspersionis

melius loquentem quam Abel: exſpectat verò diem illum, quo Deus mortuum illud & a nobis depoſitū corpus conforme redditurus ſit glorioſo corpori Filij ſui, ſecundum potentiam quâ ſibi poteſt ſubijcere omnia.

Nos verò, quantiſper viſum erit Deo, fluctibus iſtis iactabimur, donec ille miſertus etiam aliquando noſtri, ſuo quemq; ordine ex hoc cœno in cęleſtia gaudia euocabit: benedictā intereà in Eccleſia ſanctorum ſeruantes memoriam D. Iacobi Arminij, cum hoc elogio, FVISSE IN BATAVIA VIRVM, QVEM QVI NORANT NON POTVERVNT SATIS ÆSTIMARE: QVI NON ÆSTIRVNT, NVNQVAM SATIS COGNOVERVNT. Quod reliquum eſt, Mag^ci, Reu^di, Ampliſs^i, Nobiliſs^i, Eruditiſſimi auditores, ad amabilem Eccleſiæ concordiam contra ſcandala & ſuſpiciones huius ſeculi vos exhortaturus, non vtar alijs quam Apoſtoli Ioannis verbis,

1. Ioan. IV. 7. *Dilecti, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt, & cognouit Deum. Qui nō diligit, non nouit Deum; quoniam Deus charitas eſt.*

DIXI.

# IANI DOVSAE
## NODOVICIS

Ad amplissimum virum,
D. NICOLAVM CROMHOVTIVM,
*Provincialis Curiæ Senatorem,*
*Collegam unicè observandum:*
Academiæ nomine εὐχαριστήριον.

CROMHOVTI, *ô Batavi pars haud postrema Senatus,*
*Cromhouti, ô Patriæ gloria rara tuæ:*
*Quòd Fori, & assiduo Rerum limatus in usu,*
*Sordida non ullâ pectora labe geras;*
*Multum equidem (quid enim maius dare Numina possint?)*
*Virtuti debent sæcula nostra tuæ:*
*Plus tamen,* ARMINIVM *quòd te duce & auspice primum*
*Hollandæ urbs dederit Amsterodama Scholæ.*

Scripsit A° CIϽ IϽC III.

*In Mortem Reverendi, Eruditissimique viri*
D. IACOBI ARMINII *in Academiâ*
*Lugdunensi Divinæ sapientiæ Professoris*
*Hugonis Grotij* SCAZON.

SCrutator almæ veritatis Arminî,
Sublime pectus, anima fœta doctrinæ,
Solertiæque perspicacis exemplum,
Tu nunc ademptus sæculo tenebroso
Et semicæcæ palpitantium turbæ
Claros beatæ lucis incolis campos:
Et sive nuper magna pars stetit veri
Tuis sub armis, tot premente cervices
Cultus profani servitute discussâ:
Seu parte in aliquâ, more gentis humanæ,
Et nescientis multa sorte naturæ
Te cepit error (judicent, quibus sacri
Iuris potestas, visque tanta noscendi)
Certè superni codicis frequens lector,
In verba certè non adactus humana
Labi timentis, nec rebellis in sese,
Fers teste cælo conscientiæ laudem.
Ibi satur quiete, gaudij plenus,
Quæsita quondam discis, & vides, quanta
Involvat homines inscientiæ nubes:
Quàm nil sit illud, quod vocamus hîc scire,
Quo nos superbi tollimus caput cælo,
Calcamus alios, invicémque calcamur.
Hinc tanta bella sæviunt Magistrorum,
Hinc odia plebis: interim fugit longè,
Nec se videndam dimicantibus præbet,

Amica

Amica sanctæ sancta veritas Pacis.
Vnde ista rabies, & libido pugnandi
Insedit animos? cur placet Deus belli
Materia? quò tot studia, tot novæ partes?
An hostis atrâ nocte pestilens Christi
Insparsit agro semen? an furor pugnax
Mortalitatis, ingeniqúe corrupti
Alimenta quævis sumit, & Dei causæ
Permiscet hominem? curiosus an mundus
Dum nil latere patitur, & sequi gaudet
Sciri negata, jure sentit hanc pœnam?
Vt illa quondam, dum viam parat cœlo,
Structrix superbæ molis insolens turba
In mille linguas abijt, atque aberranti
Sermone priscum vocis exuit f[illegible]dus.
Heu quid paramus? lectus or[illegible]e de toto
Grex ille parvus lancina[illegible]mur heu fœdè
Iterumque & iterum [illegible]scindimurque discordes,
Ridente Mauro, nec dolente Iudæo.
Felix remoti factionibus vulgi
Religio simplex, arte non laboratâ:
Quæ morte Christi certa dilui culpas;
Hic spem, fidemque ponit, & dari credit
Gratis salutem, promerentibus pœnam.
Sanctique Amoris lere munus exercens
Non curat altum sapere, nec nimis quærit,
An lege certà veniat omne venturum.
Exsors malorum quomodò malum nolit,
Velitque Rector: summa quatenus causa
Potente nutu velle temperet nostrum.
Felix & ille, quisquis ambitu liber,

Nec vana captans lucra, nec leves plausus,
Cœlestiores excitatus ad curas
In astra tendit, & Deum studet nosse,
Quà seipse pandit, ambulatque suspensis
Periculosas gressibus per ambages,
Non mentientis fila persequens libri:
Cui charitate temperata libertas
Certat manere dissidentibus concors:
Piæque purus æquitatis affectus
Damnatus alijs, ipse neminem damnat:
Modestiæque limites premens, donat
Nunc verba vero, nunc silentium paci.
Hæc sæpe populo teste, sæpe privatim,
Hæc ipsa fato jam propinquus, Armini,
Adhuc monebas, cùm laboribus vitæ
Longis fatiscens, sæculique pertesus
Fastidiosi, partinacis, ingrati,
Indigniore parte fractus, & languens,
Meliore sospes, illa millibus multis
Monstrata per te regna solus arderes.
Et nunc paterno sidus additum templo
Deum precaris, det gregi suo lucem
Hic quanta satis est, hac det esse contentum:
Det non loquentes sua reperta Doctores:
Det consonantes semper omnium linguas,
Aut corda saltem: præpotente vi flammæ
Caliginosas litium fuget sordes:
Vt spiret unum tota civitas Christi,
Vitamque terris approbet, fidem cœlo.

In

## In Morbum ejusdem.

### EPIGRAMMA.

*PErtulerant cunctos Armini membra dolores,*
*Stabat & in medijs mens animosa malis:*
*Victa lues oculi lævum se torsit in orbem,*
*Mœstaque non totus venit in ora dies;*
*Immites tenebræ, nihil hâc in parte nocetis,*
*Quo se, quoque Deum conspicit, intus habet,*

### EPITAPHIVM EIDEM.

QVod fuit Armini morbis exsangue malisque,
Hic jacet, & vitæ jura secunda manet.
Quod sublime viro, quod vi, quod robore plenum,
Morte carens, cæli regna superba tenet,
Si malè pars habuit sese neglectior illi,
Quam coluit tantò sanior illa fuit.

### ALTERVM.

*SVbtilis ille sensuum, potens fandi,*
*Sed cura semper prima cui morum fuit,*
*Appellat omnes hic jacens Arminius,*
*Vitæ probatus, disputator optimus,*
*Ne disputare mavelint, quàm vivere.*

# IVSTI SVVANEBVRGI IC^ti

## Elegia

### *In obitum viri Reverendi viri* D. IACOBI ARMINI.

*Ecclesia loquitur.*

DIstrahor, & lacerata datur (sic turbidus instat
Orbis) vix modicum membra recolligere.
Nec spondent, dolor heu, meliora hæc tẽpora, namq;
In partes rapiunt schismata quemque suas.
Arminius plagas humeris, solatia dand ,
Sustulit, ipse oneri succubuitque meo.
Succubuit, dum doctorum sub imagine in vnum
Omnia proh demens spicula mundus agit.
O pia mens quæ tam sacro lassata recumbit
Pondere, læteris: munde quid est quod habes?
Scilicet ut posit tibi jam securius in me
Imperium esse, geras cunctáque pro libitu?
Me raptam sede ex humili sublime locare
In solium, cupiens subdere regna iugo?
Sic specie falsi miseris illuditur; eheu!
Sat lusum tali schemate Christicolis.
Horret adhuc animus ludibria sacra meorum
Servorum, dominis qui graviora iubent:
Et populum, dum præses abest, ita fusile circum
Permittunt choreas concelebrare pecus.

Armi-

Arminius fastus, ô quàm dulcedine mira,
Hos solitus dextro numine deprimere?
Dum populum spectare jubet mandata ferentem
Sacra ducem, falso numine posthabito.
Ille humilem doctâ atque humili me voce fovebat,
Atque potestati subdita membra dedit;
Noluit in dominos insurgere, sed sibi donis
Exultare datis foedere perpetuo.
At iam lingua silet, gremio & composta quiescunt
Ossa meo; ad superos spiritus emicuit.
Quis miseram posthac solabitur, & mea membra
Vnanimi pascet schismate sparsa fide?
Pastores fidi, precor huic incumbite curæ,
Et facite Arminij ut molliter ossa cubent.

## IN OBITVM

Reuerendi atque incomparabilis viri
D. IACOBI ARMINII VETERAQVINATIS
Bataui, SS. in Academiâ Lugduni-Batauâ
Theologiæ Doctoris atque Pro-
fessoris ordinarij.

*DVm patrio è terris moriens reuocatur Olympo*
*Arminius cæli nobile depositum;*
*Diriguit Pietas ad cari antistitis umbram,*
*Virtutum mæsto collachrymante choro.*
*Lucifero niueum mutauit Candor amictum,*
*Et iam de exilio cogitat ipse suo.*

*Debuerat Tellus; fleuit miserabilis Æther,*
*Opprobrio damnans impia sæcla graui.*
*Num minus erubuit Liuor? num perfidus orbis*
*Abstinuit placitum Dis onerare caput?*
*Gaude sidereis anima ô adscita maniplis!*
*Haud alio poteras tutior esse loco.*
*Illic luce Dei & præsenti Numine plena,*
*Quæ tibi sunt quondam præmeditata, vides.*
*Nos tua sanctiloquæ torrentia flumina linguæ,*
*Mixtaque cum solidâ sobria sensa fide,*
*Constanti æternum mirabimur impete mentis.*
*Non erit officijs gens grauis vlla pijs.*
*Nos abs te mortis Vitæque exempla petemus.*
*Nec læsisse bonos, nec timuisse malos.*

Iacobus Lettingius.

# THRENVS

*In obitum Reuerendi, eruditione & pietate incomparabilis Viri D. Iacobi Arminij SS. Theologiæ Doctoris in alma Academia* LEIDENSI *dum viueret.*

Ergone magnus ille Belga, & inclytus
Cunctator ille Christianus occidit?
Vir ille pacis, Veritatis & tuo
O Christe leni spiritu Doctor potens?
Tuune LEIDA, Sol, sacris lucens tuis

Lumen

Lumen decusque pulpitis ARMINIVS?
Heu triste funus! casus eiulabilis!
Tibique LEIDA flebilis! sed, heu! nimis
Angusta quam quæ luctuoso funeri
Par esse possis. Orbis in fletus eat
Populusque cunctus Christianus ah gemat,
Quicunque Christum quærit & pacem Dei.
Lugete mecum vos fidelia pectora,
Piæque mentes quotquot vno spiritu
Vnoque corde, iugibus suspirijs
Doletis hancce cordium discordiam,
Hoc triste Christi corporis diuortium,
Vulnusque cuius ora iam patentia
Laxoque hiatu separata mutuis
Diuelli vbique cernitis discordijs,
Magis magisque quemlibet partes sequi,
Medicamque nusquam porrigi lacero manum.
Dum quisque summus esse vult & optimus.
Nec altiorem nec parem quemquam ferens.
Sed deferendam quisque gloriam sibi
Fascesque, ius & vniuersum flagitat.
Dum quisque Papæ postulat gradum sibi
Et numen esse dum recusat, Numen est.
Vos qui videtis hæc & ingemiscitis:
Precibusque tantùm poscitis remedium,
Iuuate luctum; mortuus vobis iacet
Vir iste cuius vniuersus spiritus

Hoc vnum agebat, parque tantis ausibus
Tentabat istam regiam solus viam.
Hic, cum videret istum vbique gentium
Errori amicum subijci tibicinem,
Fulcrumque quo mendacium per traducem
Statuminari posset, & repagulum
Paci vniuersæ fraudulenter obijci,
Aduersus ibat: iamque per cuniculos
Occultiores, inuolucra, retia,
Cæcosque ductus, expeditus integrum
Velamen istud & Tyrannidis peplum
Audax leuarat, & diluculi facem
Præferre mundo Christiano cœperat,
Exlegitatis omnis & Tyrannidis
Abominator, osor, aduersarius,
Apertus hostis: totus hoc pernox agens,
Vt Antichristus in throno palam sedens
Orbique notus, sauciarier intimis
Et vulnerari posset in præcordijs,
Non destruendus integer, nisi vltimus:
Et ille tectus clanculum in mysterio
Paucisque notus, clancularijs modis
Agens vbique proderetur, & semel
Nudus pateret Christiano sæculo.
Priore peior, quo latentiùs piâ
Laruâ subintrans, nescienti sæculo
Et dormienti compedes graues parat:

Nec

Nec Papa Romæ nascitur solum, aut sedet,
Vbique oberrat, aut potenter obtinet,
Totumque ferme mancupat mundum sibi,
Securitati nuspiam vt fiet locus,
Occasione quisque primâ Papa fit:
Hic subiugandus vnus est, quin solus hic
Amoliendus, & repente Pax erit.

Sed heu! quid istis expedit conatibus
Supraque vulgus inuidendis ausibus
Grauidare pectus, artuumque robora?
Quid ordinare spes in extremum iuuat?
Ponenda si repente sit prouincia,
Abortiendus fœtus, inque limine
Sistendus ausus, impetumque nobilem
Si promouere mors præoccupans vetat?
Vix inchoabat hanc prouinciam grauem
Laboriosam, veritatis, & sacræ
Pacis sacerdos, en volentem præuenit
Funesta nobis omnibusque mors pijs.
Heu triste damnum! casus vter durior,
Vir iste tantus, an quod hocce tempore
Quo totus hunc sperabat orbis occidit?
Iamque inchoatæ terminus Tragœdiæ
Instabat, illa lætior catastrophe
Longum expetita, iamque mundus integer
Arrectus ibat, exitum desiderans:
Quum summus hic choragus, ah dolor, perit.

Excelſus ille maſculuſque ſpiritus,
Erectus ille diſputator; igneus,
Scrutator, acer, atque perſpicax, potens,
Mediator omnis veritatis, ſtrennuus
Pietatis author, ſanctitatis regula,
Contemtor vmbræ, vitreique nominis,
Solaque recti conſcientiâ potens:
Cui vita tota perpes euolutio
Meditationis, inquies ſcrutatio
Sententiarum ſenſuumque ſpiritus,
Et vtriuſque vinculum Precatio.
Sed, heu, quieſcit, conticeſſit, & ſilet,
Simul illa blanda, ſuada, mitis, mellea,
Pacemque ſemper & modeſtiam loquens
Sonanſque lingua, nec loquetur amplius
Illa inuidendum nomen, impeccabilis
Veracitatis vnicum ſpirans Deum:
Non illa læna prurientium aurium
Populique manceps obſtetrixue ſæculi
Antiquioris aut nouelli ſubiugis;
Nec illa dicax & proterue ebulliens
Vomenſque quicquid impotens furor iubet
Et cruda bilis: ſed ſuäuis, efficax,
Neruoſa, toto ſpiritu verbi potens,
Suaſuque leni conſcientias trahens
Rapienſque veri ſimplice efficaciâ.
At tu beatus ter quaterque & amplius,

Ereptus omni temporum infortunio.
Vir magne, tutus, inque portu nauigas,
Litasti abunde Patriæ, Christo, Deo,
Ecclesiæque: viue iam satur Deo,
Christoque, cuius ( spiritum vix dum trahens,
Totusque summis obrutus doloribus)
Mortem cruentam & mortis efficaciam
Desiderabas vsque & vsque noscere,
Et illud ipsum, quod laborant Angeli
Videre, tota persequens vi spiritus,
Si forte posses apprehendere & frui;
Fruere vsque & vsque, præmiumque gloriæ
Capesse fœlix, & tuum fructum metas.
Postquam fuisti totius calumniæ
Iniuriæque & inuidentiæ scopus,
Centrumque, cuius innocentis in caput
Cohors malorum incursitauit vndique
Hirudo famæ, carnifex, calumnia,
Hominesque vel fortissimos expectorans,
Suspectionum crudelarum vanitas,
Semper recurrens, obstetrix licentiæ,
Et pertinacis impudentiæ nutrix.
Ipsisque semper innocentibus grauis:
Expertus omne quicquid integer Satan
Præter cruentam & vltimam mortem potest,
Patiensque semper, & malum ingerentibus.
Benedictione non malo retalians,

Veniamque poſcens & Dei clementiam:
Voluiſti abunde ſpiritu toto tuo
Prodeſſe mundo. Poſſe non erat tuum:
Nil præter ipſum velle Rex mortalibus,
Conceſſit vllis, ipſe providentiam
Sibi reſeruat, exitumque dirigit.
Et quod profecto proderit remedium
Si nolit orbis calcitrator, & ſuam
Propriam ſalutem prodige abliguriens,
Quin omne pacis decoquens remedium?
Malo ſubinde corrigi atque abſentia
Boni videtur velle, nec Deus ſuam
Benignitatem prodigus ſic abijcit:
Sed ambienti liberaliter locat
Cuſtodiendam & æquitate terminat
Donationem: in quid expergiſcimur?
Fors quem medentem contumaciter diu
Ingratus orbis calcitroque reſpuit:
Deſiderabit ambietque ſerio
Poſtquam carendo ſentiet damnum boni.
Vnum relinquis poſteris ſolatium
Quod magna de te ſeminata copia
Zelare diſcet Chriſtiano ſpiritu,
Tuoque, per calumnias & per cruces
Iniuriaſque & contumelias graues.
Per omne quicquid aut vafer Satan poteſt,
Aut vniuerſa Spiritus potentia.

Hominumve zelus & furens licentia.
Dum veritati, conscientiæ & sacræ
Paci, litare possit & summi Dei
Christique Reges vindicare gloriam.
Tu Christe tantum Rex propitius faue.
Hoc apprecare quisquis ad pacem vides,
Orbique poscis orphano nouum Patrem.

*Posui mæstus*
*M. Simon Egberti Episcopius*
*Amstelodamensis.*

## AD EVNDEM
### SCAZONTES.

*Beate Doctor, os sacrum juventuti,*
*Quotquot tulerunt ingenî tui fructum*
*Piè eruditi, nos tuæ parentantes*
*Sacræ Memoriæ, postumumque lugentes*
*Vale, coacti flere fuimus, haud ore*
*Digno, imparique verba nostra conari*
*Tentatu: adegit illud eloquI regnum*
*Nulli canendum; adegit sanctitas gratæ*
*Vitæque & oris: quæque contigit nulli*
*Mens nata summis, summitatis exosa*

*Titulos fugaces, libera ambitu vano.*
*Ignosce: Nostra nam loquacitas tantis*
*Præconiorum molibus fuit muta*
*Lacbrymisque iustis: voxque nostra conata*
*Cantare laudes faucibus stetit primis.*
*Sed & hoc abundè est. Claudicamus en rursus,*
*Atque ire euntes primulum, pedes fallunt,*
*Ignosce Doctor: Nam nec ipse mœroris*
*Mei, tuique encomij modum novi.*

## EPIGRAMMA
*In Morbum ejusdem.*

DVm latuit parvâ sublimis spiritus arce
ArminI, ille quidem floruit usque magis:
At plus, extremos quum vitæ carperet usus
Pars fuit hæc vigilans, pars fuit illa gravis.
Quid mirum est? Animus nunquam majoribus arsit
Ignibus, hinc valuit corpus inane minus.

V. R.

FINIS.